



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XXV. Cùm in Ecclesia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

tem gratia ad petitionem alterius emanavit, tunc quia talis gratia strictam habere debet interpretationem, ad minorem dignitatem vel præbendam, aut si æquales sint ad eam, quam intra decem dies à nota sibi vacatione, is ad quem alioquin collatio ejus spectat, ad hoc elegerit, referri debet; quòd si verò is intra dictum tempus eligere negligat, ex eo tempore ad Superiorem electio liberè devolvatur.

SUMMARIUM.

1. Gratia beneficalis ad instantiam concessa strictam interpretationem habet; latissimam verò, qua motu proprio conceditur.
2. Saltem in quantum jus tertij non laeditur, nec concordatis, vim pacti habentibus, contravenitur.

1. **N**otandum. Discrimen est inter gratiam beneficalem, aut dispensationem, quæ datur ad instantiam, seu petitionem alterius, & eam, quæ proprio motu conceditur, quòd illa strictam interpretationem meretur, hæc autem latissimè interpretanda. Et ita docent Canonistæ hic. *Abb in c. cum in cunctis §. cum verò n. 8. ibidem Joann. Andr. n. 18. de electione. Felin. in c. postulas in. 13. de rescriptis.* Ratio indicatur in c. precedente; cum enim talis gratia motu proprii ex mera Principis liberalitate procedat, major ejus esse debet favor, & benignior interpretatio, ita tamen, ut à concedentis voluntate probabiliter præsumpta, atque à verborum proprietate, vel communi eorum acceptione, nequaquam recedatur, prout explicavi lib. 1. tract. 4. c. 23. n. 6. & hoc modo intelligenda est *Glossa in Clement. 2. v. directas hoc tit.* cum enim ait, quòd motus proprius non ampliat gratiam, vel vim verborum, intelligi debet, quòd non ampliat supra intentionem concedentis, aut ultra vim & acceptionem verborum.
2. Obijci potest, quod c. superiore dictum est, gratiam motu proprii strictè esse interpretandam, quatenus vergit in præjudici-

um tertij; at verò reservationes istæ, & literæ beneficales vergunt in præjudicium ordinarij collatoris: ergo strictam interpretationem habere debent. Resp. cum *Anchoran. hic not. 1.* id verum esse, si tertio verum aliquid jus in re, vel ad rem acquisitum sit, cui Princeps secundùm ordinariam potestatem præjudicare non solet, licet possit secundùm plenitudinem potestatis, positâ causâ rationabili; quâ ipsâ ratione rescriptum beneficalia, licet clausulam, motu proprio, & ex certa scientia, annexam habeat, tamen non ita intelligi debet, ut concordatis Germaniæ deroget, sed alia ratio est de reservationibus & derogationibus facultatis conferendi, spectato communi jure, cum enim Papa sit summus omnium beneficalium collator, idè spectato jure ordinario, & exclusis concordatis, liberè, & sine cujusquam injuria, & propriè dicto præjudicio ordinarios collatores prævenire potest.

CAPITULUM XXV.

Cùm in Ecclesia.

PARAPHRASIS:

In quadam Ecclesia duodecim erant Canonici, & tredecim præbendæ, nam Episcopus ex longa consuetudine vocem in Capitulo habebat, tanquam Canonicus, cum Canonicus non esset, licet præbendam haberet, sicuti Canonici. In hac itaque Ecclesia Papa, auctoritate Apostolicâ, mandavit provideri Titio præbendam, quæ proximè vacatura erat, nulli alteri debitam. Accidit autem, ut per mortem Episcopi proximè vacaret præbenda. Hoc casu ait Bonifacius VIII Titium præbendam istam habere non posse, sed expectandum ipsi esse, donec alia præbenda vacet, ne alioquin contra Ecclesiæ consuetudinem, cui Pontifex mandato suo derogare non intendit, futurus Episcopus præbenda carere debeat, & Canoniorum numerus augetur.

SUM.

SUMMARIUM.

1. Ut in Ecclesia aliqua major numerus sit præbendarum, quam Canonicoꝝ, statuto vel consuetudine introduci potest, vel vicissim.
2. Prout etiam introduci potest, ut, qui non est Canonicus, vocem habeat in Capitulo.
3. Quibus per sua rescripta non censetur derogare Pontifex.

Notandum primò. Statuto vel consuetudine introduci potest, ut in aliqua Ecclesia major numerus sit præbendarum Canonicalium, quam Canonicoꝝ, quia videlicet una præbenda, vel plures dantur, seu Episcopo, seu Cancellario Academiae, seu Cantori, qui Canonici non sunt; sed & vice versa frequenter fit, ut major numerus sit Canonicoꝝ, quam præbendarum, cum nihil obstat Canonicum creati, qui non habet præbendam Canonicalem, prout sæpe dixi, & notat Anchoran. hic in principio.

2. Notandum secundò. Etiam id consuetudine introduci potest, ut Clericus in Capitulo vocem habeat, qui tamen Canonicus non est. c. cumana 50. de electione.

3. Notandum tertio. Papa per sua rescripta, & mandata non censetur derogare statutis, consuetudinibus, ac juribus particularium Ecclesiarum, nisi sufficienter exprimat, uti hic dicitur, & in c. constitutus 19. de rescriptis. c. ei cui 29. infra hoc tit. 6. idque verum est, tametsi proprio motu emanaverit, prout tradit Franc. in c. simorun. 3. hoc tit. & docui ibidem not. 1. §. hinc intellige.

CAPITULUM XXVI.

Sibi.

PARAPHRASIS.

Pontifex concesserat alicui Episcopo, ut ad debita Ecclesie sue solvenda, redditus beneficiorum, intra certum tempus vacantium, percipere posset. Accidit po-

stea, ut beneficium curatum, quod vacabat, Episcopus Clerico conferret, qui simile curatum obtinebat; hoc casu æquum non est, ut prius beneficium propter adeptionem secundi reputari debeat vacare, quamdiu Episcopus hujus secundi fructus percipit.

SUMMARIUM.

1. Juri scripto, verborum proprietati tenaciter inhærenti, æquitas præferenda est.
2. Non vacat prius beneficium incompatible cum posteriore, nisi fructus posterioris percipiat provisus.

Notandum. Æquitas præferenda est juri scripto verborum proprietati tenaciter inhærenti L. placuit 8. c. de judicijs & reg. 90. ff. in omnibus quidem, maxime tamen in jure æquitas spectanda est, quare licet in c. de multa 28. hoc tit. decretum fuerit, ut si aliquis alterum curatum beneficium accipiat, post adeptam ejus possessionem, prius curatum ipso jure vacare debeat, ita ut alteri mox conferri possit, sicuti habetur in c. sequente, tamen id extendi non debet ad eum casum, si alterum adeptus beneficium curatum, nullos ex eo fructus percipiat, neque per ipsum stet, quò minus percipiat, uti videre est in casu nostri Capituli, qui proinde per episcopiam excipi debet, juxta ea, quæ docui lib. 1. tract. 4. c. 19. atque huc etiam applicari potest, quod docui lib. 4. tract. 2. c. 5. q. 4. quòd beneficiarius, qui beneficij fructus nullos percipere potest, pro eo tempore ad horas Canonicas non obligetur.

Advertendum autem est, quòd hic tradit Joann. And. n. 3. Anchoran. not. 3. Francus. n. 2. Pontificem non absolute dicere, prius curatum non vacare, sed non esse reputandum, ut vacans ad eum effectum, ut alteri conferri possit, donec ex posteriore fructus percipiat provisus: ex quo inferunt, si fructus consequatur, non esse in electione curati, utrum ex duobus beneficijs dimittere malit, cum ex eo tempore

U ;

bene-